

the Oriental ones; only it was observed, that those Diamonds that lay more superficially, and exposed to the Air and Sun were more scurfy, and by Consequence lost more by polishing than the other.

S I R,

Your most obliged humble Servant,

Jacob de Sarmento.

IV. *Viri Celeberrimi Johannis Marchionis Poleni, R. S. S. ad virum Doctissimum Jacobum Jurinum, M. D. R. S. S. Epistola, qua continetur Summarium Observationum Meteorologicarum per sexennium Patavij habitarum.*

J A M ante viginti ferme annos cooperam Meteorologicas Ephemerides ex observationibus meis, hic Patavij, conscribere; plures tamen in adversariis meis inerant lacunae (varias ob caussas, praesertim quod saepe ab urbe abesse cogerer) visâ autem *Invitatione tuâ*, Ornatissime Vir, *ad Observationes Meteorologicas communi consilio instituendas*, quam Londini Anno hujusce seculi vigesimo quarto edidisti, rem in posterum diligenter curare institui ad exemplar, quod eâdem in *Invitatione* dedisti; domesticamque sedulam

D d



dulam viariam operam instruxi ; ne, si abessem, filum observationum unquam abrumperetur.

Praecipua eorum, quae observavi, conjuncta atque inter se comparata in Epistola hâc reperies ; quorum multa ad normam praceptorum, ex tuâ Invitatione proficiscentium exarata sunt. Observationum autem reperties collationem, quoad pertinet ad Naturalem Aeris Historiam ; quemadmodum Tu consilio optimo praecepisti : Theoremata vero observationibus iisdem haud quaquam inaedificavi. Persuasum etenim mihi est, perperam agere Architectos, qui Aedificia inchoant, antequam satis materiae ad aedificandum praesto sit ; atque ita etiam ad physica systemata condenda, nimium agi periculose, si haec incipientur, et tamen desit tanta observationum copia, quanta veritati firmandae sufficiat ; porro vel in his materiam deficere, plane est dicendum. Praefstat itaque observationes congerere, quarum usus aliquando fortasse prodibit. Atque erit fane perutile, tum meteororum novisse historiam ; tum etiam, ne in errores incidamus, a certis effectibus ad eorundem caussas posse aliquando concendere.

Neque tamen me latet, totum hoc observationum genus a nonnullis plane despici, cum vix ulla praefens habeatur utilitas ; futura vero et dubia, et valde remota esse videatur. At etiam Posterorum gloriae, atque utilitati litandum est : et fane decet serere arbores, quae alteri seculo profint : easque saepe serit diligens agricola, quarum aspiciet baccham ipse nunquam. Atque, ut similitudine utamur rei nostrae convenientiore, quis credat quidpiam certi invenisse primos illos Saturniae Stellae contemplatores spatio unius conversionis Stellae ejusdem, hoc est, triginta annorum spacio ;

tio; cum Stellam illam aliquando motu suo ab occasu in ortum proficisci, aliquando ab ortu in occasum regredi, aliquando fixam veluti esse, modo velocem, tardam modo, conspexere. Pluribus tamen conversionibus tolerantius observatis, compertae sunt certae veraeque leges motuum Stellae illius atque velocitatum. Porro absit, ut Meteoris tantum tribuam constantiae, quantum Stellarum conversionibus tribendum est: at eximias alias etiam in illis (ut appellant) regulas pro tempestatum atque regionum varietate inesse, creatarum rerum omnium harmonia summa non suadet modo, verum etiam persuadet.

Et, utcumque tandem sit, satisfaciendum sane est etiam iis, qui plane credunt ex longâ, neque interruptâ observationum serie posse futuris temporibus utilles aliquas cognitiones proficisci. Et quidem perinde utile erit si in meteoris, vel aliquae certae naturae leges, vel perpetuae aliae quaedam naturae variationes, longo temporis tractu, detegentur. Haec autem paullo fusi sum persecutus, ut ex his liquido Tibi appareret, Invitationem tuam a me lubenti animo fuisse suscep tam; plurimique a me fieri, certâ de causâ, vel hanc partem studiorum, in quae incumbit Illustris florentissima ista Regalis Societas fundata ad promovendam Philosophiam, quam novis jugiter inventis, miroque optimarum artium cultu in dies illustrat.

Nunc proprius ad rem ipsam accedendo, nonnulla subjiciam monita ad res ennarrandas spectantia. Itaque in primis animadvertisam, in tempore connotando, me diei cuiusque initium a meridie, ut Astronomi confuevere, supputavisse: Observationesque in Ephemeridum meteorologicarum adversaria referendas paulo

post meridiem instituisse ; nisi quidpiam me aliquando impeditivit, aut tempestas aliqua a proposito me illo abduxit.

Veteri autem Stylo in temporibus designandis, et in mensuris Anglo Pede ejusque Partibus, me usum fuisse, institutum meum satis declarat. Si qua erunt, enarrationum progressu, ad tempus conveniens Novo Stylo, atque ad Gallicam mensuram referenda ; de Styli atque mensurae mutatione admonebo.

In mensura nivis, hanc liquefieri curavi ; liquatique ratione eadem, ac pluviam aquam metitus sum.

Barometri mei tubulus amplius est, et Vasis, quo stagnans mercurius continetur, diameter est ferme vigeupla diametri tubuli : quainobrem ascendentे intra eundem tubulum, et descendente mercurio, altitudo mercurij eo in Vase tuto potest ceu invariata reputari.

Thermometrum meum ex genere illorum est, quorum inventio Gulielmo Amontonio, ornamento illustri Gallicae Academiae, adtribuitur. Tubulus est recurvus desinens in phialam, cujus phialae pars inferior vivo argento, superior repletur aere ; hujusque dilatatione vel majore, vel minore, pro varia caloris vi, mercurius in tubulo vel magis vel minus attollitur. Quoniam yero tubuli extremitas patula est, idcirco oportuit veram Thermometri Altitudinem ex Altitudine mercurij observatā in Thermometri tubulo, Altitudineque mercurij in Barometro, collectis in unam summam, componere ; inque Ephemerides referre Altitudinem eadem plane ratione compositam. Est autem Thermometrum meum appensum ad parietem cubiculi

cubiculi (in quo vix unquam ignis accenditur) facie unā ad meridiem, alterā ad orientem solem obversā: neque enim aptum locum ad septentriones respicientem habeo. Thermometri mei phialā intra glaciem immersā subsidit mercurius in altitudine Dig. 47. Dec. 30. intra vero ebullientem aquam, ascendit mercurius ad altitudinem Dig. 63. Dec. 10. Porro iisdem semper Instrumentis, et ad eandem jugiter plagam constitutis usus sum.

Per spicuum autem, si opus esset, ex modo relatā et superioribus observationibus fieri posset; Hyemali rigidiore tempore aerem nostrum ad frigus aquae glacialis quam proxime accedere (ut alias in Commentariis Regiae Scientiarum Gallicae Academiae An. 1711. pag. 2. observatum fuit, ab aere suscipi eundem frigoris gradum, qui nivi convenit) Aestivo autem tempore, aeris nostri tempore ab aquae ebullientis calore distare plurimum: at id vel naturae lumine notum est, atque manifestum.

Ventorum directiones singulis diebus adscripsi; eorum autem vires dum taxat cum satis patentes, maiores, vel maxinae fuere, numeris 2, aut 3, aut 4, pro magnitudine eorum signavi; praetermisso zero, sive malaciae signo; et unitate, venti lenissimi indicio. Ceterum, etiam me silente, nemo in hisce rebus vel mediocriter versatus non animadvertis; in infima hac prope nos aeris regione ubi Anemometrorum sedes est, saepe unum aliquem ventum observari, dum in superioribus aeris regionibus alij diversique yenti dominantur.

Post haec vero monita, attingendo rem ipsam, ut aquae pluviae, nec non ex fusa nive collectae, quantitates

rates (ut ferunt summae ex observationibus desumptae, singulis Mensibus convenientes) considerari queant; eas in subjectam Tabellam conjeci.

	1725.		1726.		1727.		1728.		1729.		1730.	
	Dig.	Dec.										
JAN.	0	521	1	355	5	955	4	278	1	085	0	112
FEB.			1	460	1	073	1	050	1	245	2	906
MAR.	0	889	3	168	1	878	4	832	2	902	4	592
APR.	4	019	3	998	0	498	1	419	2	768	1	638
MAY.	3	625	1	368	3	530	3	403	2	634	4	467
JUN.	0	036	2	608	2	476	2	103	3	134	6	205
JUL.	2	297	2	357	2	930	4	016	4	526	2	339
AUG.	5	185	1	268	5	067	5	186	0	578	4	269
SEP.	2	647	2	900	4	164	6	948	3	267	1	090
OCT.	7	104	0	179	6	576	5	163	6	294	5	254
NOV.	3	636	2	277	5	091	6	836	4	186	0	534
DEC.	0	030	2	390	7	169	7	599	2	804	0	894
Sum. totius annii.	29	989	25	328	46	407	52	833	35	423	34	300

Si iidem Menses illorum sex annorum colligantur in unam summam, comperietur ex Tabellâ minimam aquae quantitatem decidisse Mensibus Februariis; quippe quae non excesserit Dig. 7. Dec. 734. Maximam vero Octobribus Mensibus, quae Dig. 30. Dec. 570, aequaverit. Praeterea ex Tabellâ eâdem facile apparet, sicciorum annis aliis fuisse annum 1726, qui dedit aquae Dig. 25. Dec. 328: aliis autem annis humidiorem fuisse Annum 1728, quo collegi aquae Dig. 52. Dec. 833.

Numeros practerea quantitatum aquae, singulis quac anni Tempestatibus decidit, seorsum collegi;
Tem-

Tempestates ita partiens pro quounque proposito anno ; ut Hyemis initium referrem ad decimam diem Decembris anni praecedentis, et sic porro ad diem decimam Martij, Junij, atque Septembris Tempestatum reliquarum initia constituerem. Inventae summae, in Tabellâ notatae, sub oculis positae sequuntur.

	Hyems.		Ver.		Aestas.		Autumnus.	
	Dig.	Dec.	Dig.	Dec.	Dig.	Deg.	Dig.	Dec.
1725	0	912	8	167	7	584	13	327
1726	2	815	9	6	7	355	4	999
1727	8	181	5	916	11	875	15	497
1728	11	419	10	752	12	83	20	556
1729	7	470	9	430	6	310	13	617
1730	8	693	8	817	12	818	6	562
Sum.	39	490	52	88	58	25	74	558

Ex quâ Tabellâ proclive est noscere quantitatem aquae pertinentis ad Aestatem et Autumnum, singulis annis majorem fuisse quantitate aquae pertinentis ad Hyemem et Ver.

Quod si quantitates ad quamlibet Tempestatem pertinentes colligantur in unam summam ; et deinde hae summae conferantur inter se, facile liquebit, incrementa progredi eodem ordine ac Tempestates ; ordiendo ab Hyeme ; hoc est ; Quantitatem minimam aquae Hyemis tempore haberi, tempore autem Veris majorem, hanc vero superari ab Aestatis tempore, demum Autumnali tempore maximam repeiri.

Notum autem est et pervulgatum, pluviam a decrescente Barometri altitudine, serenitatem vero a crescente altitudine indicari. Ut igitur aliquo modo explorarem, quantum possint indicia illa, ut ex Barometro futurae pluviae anticipata cognitio aliqua habeatur; dies, quibus pluit sex illis propositis annis collegi in varias summas pro Ventorum varietate, atque pro incremento aut decremento altitudinis Barometri a Meridie praecedentis Diei ad Meridiem Diei ejus quo pluit. Tabellam autem ipsam subjeci.

Decrescente Barometro a
Meridie Diei praecedentis ad Meridiem Diei,
quo pluit.

Numerus Dierum, quibus pluit.	Ventus qualis erat Meridie Dierum, quibus pluit.
86	N.
61	N E.
33	E.
28	S E.
44	S.
42	S W.
49	W.
35	N W.
378	Summa.

Crescente Barometro a
Meridie Diei praecedentis ad Meridiem Dici,
quo pluit.

Numerus Dierum, quibus pluit.	Ventus qualis erat Meridie Dierum, quibus pluit.
64	N.
41	N E.
16	E.
17	S E.
21	S.
15	S W.
20	W.
17	N W.
211	Summa.

Quâ absolutâ Tabellâ, miratus profecto sum inter numeros incrementi decrementique altitudinis Barometri

metri non majorem differentiam interesse quam ea,
quae inter 378 et 211 intercedit.

Fateor equidem ; aliquoties crescente Barometri altitudine a praecedente Meridie ad Meridiem Diei, quo pluit, coepisse tamen altitudinem eam decrescere post Meridiem Diei ejusdem, quo pluisse contigit : praeterea vero incrementum illud aliquoties sumi posse, tanquam indicium futurae, post haud longam pluviam, serenitatis : rationem etiam quantitatis pluviae esse habendam.

Saepe tamen nulla ex hisce (ut ita dicam) excusatio praesto esse potest, ut servetur constantia legis illius paullo supra indicatae ; qua a nonnullis fanciatur, decrementa altitudinis Barometri esse pluvie indica, incrementa vero serenitatis indica esse reputanda. Aliquid aliud detegendum adhuc est ad prae-noscenda phaenomena haec. Quod si tamen deerit Observatorum industria, atque assiduitas, fortassis variationum hujuscemodi leges aliquando detegentur ; et *veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem extrahat dies, et longioris aevi diligentia :* et fortassis non erunt difficilia, ac *Posteri nostri nos aper-ta nescisse mirabuntur.*

Nivalium postea Dierum, propositis sex illis annis contentorum comparationem institui superioris illius similem ; atque illud animadverti, quod Nix magis, quam pluvia, Barometri decrementis respondeat : ut in subjectâ Tabellâ videre est.

Decrescente Barometro a
Meridie Diei praeceden-
tis ad Meridiem Diei,
quo ninxit.

Numerus Dierum, quibus ninxit.	Ventus qualis era- Meridie Dierum, quibus ninxit.
4	N.
6	N.E.
1	E.
1	S.W.
1	W.
1	N.W.
14	Summa.

Crescente Barometro a
Meridie Diei praeceden-
tis ad Meridiem Diei,
quo ninxit.

Numerus Dierum, quibus ninxit.	Ventus qualis era- Meridie Dierum, quibus ninxit.
4	N.
4	Summa.

Praeterea vero, ut a tua, Vir Ornatisissime, Invita-
tione indicatur; pro singulis annis summas altitudi-
num Barometri ac Thermometri confeci; ex quibus
deinde altitudines medias convenientes singulis Die-
bus eorundem Annorum elicui; ut in subjectâ Tabellâ
apparet.

	Summa Altitudinum Barometri.		Summa Altitudinum Thermometri		Altitudo Media Barometri ad singulos dies.		Altitudo Media Thermometri ad singulos dies.	
	Dig.	Dec.	Dig.	Dec.	Dig.	Dec.	Dig.	Dec.
1725	10854	26	18287	66	29	74	50	10
1726	10823.	8	18268	93	29	65	50	5
1727	10831	17	18325	96	29	67	50	21
1728	10864	72	18419	81	29	68	50	33
1729	10842	23	18326	62	29	70	50	21
1730	10853	75	18264	18	29	74	50	4

Porro si Altitudines Barometri, non singulorum Annorum, sed omnium sex Annorum in unam tantum summam colligantur, invenietur media Barometri Altitudo, singulis Diebus eorundem omnium annorum conveniens, esse Dig. 29. Dec. 70.

Ac si Thermometri Altitudines, non singulorum Annorum, sed itidem sex Annorum omnium colligantur in unam tantum summam, comperietur media Thermometri Altitudo singulis diebus eorundem omnium Annorum conveniens, esse Dig. 50. Dec. 16.

Quamobrem, inspectâ Tabellâ, facile est intelligere, Diales Medias Altitudines tum Barometri tum Thermometri, pertinentes ad annos singulos, paucissimis partibus differre a Dialibus Mediis Altitudinibus, quae ex sex illis annis collectim sumtis profiscuntur.

Maximam deinde Barometri Altitudinem Minimamque, itidem Thermometri Maximam ac Minimam Altitudinem in oppositam Tabellam redegi: ut uno aspectu conferri inter se possent atque comparari.

Anni	Men- ses.	Dies S. V.	Hora h.	Maxi- ma Ba- rometri	Minima Baro- metri	Ther- mome- tri.	Venti	Tempestas.
				Dig.	Dec.	Dig.		
1725	JAN.	19	15 30 28		48	45	W.	Coelum sudum.
	DEC.	8	4 15	28	56	47	SW. 4.	Coelum nubibus fere obductum.
1726	NOV.	28	15 30 18		48	70	N.	Coelum sudum.
	FEB.	13	15	28	92	48	S W.	Coelum nubibus fere obductum.
1727	NOV.	20	15 30 24		48	88	NW.	Coelum sudum.
	OCT.	29	3	28	80	49	S. 2.	Coelum nubibus obductum.
1728	DEC.	2	15 30 20		48	98	N.	Nubes rarae.
	DEC.	12	15	29	48	60	N.W.	Pluvia tenuis.
1729	DEC.	20	15 30 30		48	88	W.	Coelum nubibus fere obductum.
	NOV.	10	15	28	90	49	30	Pluvia.
1730	DEC.	20	15 30 40		48	20	N.	Coelum sudum.
	FEB.	27	15	28	98	48	S E.	Sol et nubes alternatim.
				Baro- metri	Maxi- ma	Min- ima		
				Alti- tudo.	Ther.	Ther.	Altit.	
				Dig.	Dec.	Dig.	Dec.	
1725	JUL.	9	15 29 04	52	50		S. 2.	Coelum sudum.
	DEC.	23	15 29 25		47	82	N E.	Sol et nubes alternatim.
1726	JUL.	15	15 29 74	52	40		S.	Coelum sudum.
	JAN.	14	15 29 68		47	68	W.	Coelum nubibus fere obductum.
1727	JUL.	13	15 29 60	52	18		E.	Sol paucaeque nubes.
	JAN.	2	15 29 68		48	15	S E.	Aer nebulosus.
1728	JUN.	22	15 29 68	52	54		S.	Sol paucaeque nubes.
	DEC.	26	15 29 30		48	8	N. 2.	Coelum nubibus fere obductum.
1729	JUN.	25	15 29 70	52	28		N E.	Coelum sudum.
	JAN.	14	15 29 50		47	82	SW.	Coelum sudum.
1730	AUG.	4	15 29 76	52	28		N.	Sol et nubes alternatim.
	DEC.	23	15 30 30		47	58	W.	Coelum sudum.

Ut vero aquae, quae decidit, Quantitates conterr possent cum Quantitatibus iis, quae in Regiae Scientiarum Academiae Commentariis regeruntur; Mensuras Anglicas in Gallicas transtuli, illas ad Regium Parisiensem Pedem (in Pollices atque Lineas divisum) referendo. Ac summas ad Annum quemlibet Novo Stilo computatum confeci, ut in subjectâ Tabellâ vide dire est.

Anni Stilo Novo.	Pol. Ped Parif.	Lin.
1725	28	1 $\frac{1}{2}$
1726	23	2 $\frac{1}{2}$
1727	42	11
1728	49	9 $\frac{1}{5}$
1729	34	1 $\frac{2}{5}$
1730	32	1 $\frac{5}{6}$
Summa.	210	3 $\frac{1}{2}$

Quare, si Pol. 210. et Lin. 3 $\frac{1}{2}$. dividantur in annos sex; Mensura Media Quantitatis aquae, quae decidit, conveniens singulis annis prodit Pol. 35. Lin. $\frac{7}{2}$. Mensura autem Media aquae quae cadit Lutetiae Parisiorum (ut habetur in Academiae Commentariis An. 1711, 1714, 1715, et alibi) Media, pro unius Anni curriculo Pollicum 19 esse computatur. Quamobrem Patavina Mensura Medium Parisiensem excedit Pollicibus 16. Lin. $\frac{7}{2}$. Aut, si assumamus pro Mediâ Mensurâ Parisensi Pol. 18. Lin. 8. (quemadmodum ex observationibus triennio habitis colligitur in Commentariis An. 1719) erit differentia Pol.

Pol. 16. Lin. $4\frac{1}{2}$. Itaque plane liquer aquae copiam hic decidere multo majorem, quam Lutetiae Parisiorum.

Praestat etiam animadvertere, a Meridie Diei 23. (S. I. V.) Augusti Anni 1727. (vento boreali) ad Meridiem sequentis diei, nimirum intra horas 24, decidisse pluviae Pol. 3. Lin. $\frac{1}{2}$. hoc est Lin $36\frac{1}{2}$. Quae sane pluviae copia multo major reperitur eā, quae intra horas 24, unquam decidat Lutetiae Parisiorum : ut ex Commentariis Regiae Scientiarum Academiae colligere est.

Si maxima Barometri Altitudo Dic 20 Dec. 1730. hic observata, redigatur ad Gallicam Mensuram, compieretur esse Pollicum 28. Lin. 6. minima vero Barometri Altitudo, quae pertinuit ad Diem 8 Dec. 1725, invenietur Pollicum 26. Lin. $9\frac{1}{2}$. Quam obrem Mercurij in Barometro differentia inter Maximam Altitudinem, Minimamque colligetur Pollicum 1. Lin. $8\frac{1}{2}$.

Affumto itidem sexenio Observationum, quas in Regio Observatorio habuit Lutetiae Parisiorum Philippus Hirius (nimirum ab Anno 1699 ad annum 1705) inveni Maximam Barometri Altitudinem extitisse Die 10 Dec. 1704. Pol. 28. Lin. $4\frac{1}{2}$. Minimam vero Die 20 Dec. 1703. Pol. 26. Lin. 5 : atque ideo Mercurij in Barometro differentiam inter Maximam Altitudinem Minimamque fuisse Pol. 1. Lin. $11\frac{1}{2}$. Differentia itaque inter Maximam atque Minimam Mercurij in Barometro Altitudinem (attentis observationibus, quas proposuimus) Lutetiae Parisiorum inventa fuit major, quam Patavij Lin. $2\frac{1}{2}$. Et quidem jamdudum nonnulli fuere, qui observarent, illiusmodi

modi differentias eo minores reperiri, quo magis loca, in quibus Observationes instituuntur, sunt Aequatori circulo vicina.

Reliquum nunc est ut ad aliud Observationum genus in Invitatione indicatum, hoc est ad Observationes Declinationum Magneticae Acus, gradum faciam : ab hac tamen parte me paucis expedi- am. Notum hoc tempore est, atque inter hujuscemodi rerum Peritos pervulgatum, variis unius ejusdemque Diei horis exigua mutationes nonnullas in Acus Magneticae Declinatione ita contingere, ut singulis integris Diebus eadem omnino constan- tissima Declinatio non observetur ; sed paucis varietur aliquando Gradus sexagesimis : praeterea vero compertum est, non ab omnibus Acubus (praefer- tim ad varios Magnetes affictis) eandem prorsus penitusque exhiberi Declinationem, sed aliquot (paucissimarum tamen cum ab excellentibus Artifi- cibus Acus sunt elaboratae) sexagesimarum differen- tias aliquando comparere. Variationes itaque per- exigua ab hisce caussis facile promanantes, si ex- cipias, totis hisce sex solidis annis, Magnetis Decli- nationem versus Occasum Graduum tredecim obser- vavi. Pyxis Magnetica, qua praeferunt utor, et cuius (ut ita dicam) fidei plurimum tribuo, est Opus Bernardi Facini scientis Artificis, maxime harum rerum periti, maximeque industrii : cuius Pyxidis Acus longa est Pollices sex, granorum triginta duo- rum pondo. Hoc unum adjiciam, me suspicari (neque enim de tam exigua mutatione quidpiam se- cure affirmandum est) Declinationem Acus intra illud tempus, decreuisse decem sexagesimis potius, quam crevisse.

Haec habui, quae, Invitationis tuae finem re-spiciens ad Te, Vir Ornatisime, scriberem. Unā etiam cum Epistolā hāc, integrae Ephemerides, (quibus singulorum Dierum Observationes meae, qua ratione Invitatio tua fert, consignantur) Tibi tradentur, tamquam specimen; ex quo, si Deus dederit, ut post aliquot annos quaedam alia in formam hanc colligam, intelligere facile queas, me tuae Methodo in scribendis observationibus adhaesisse. Si quid frugis in Observationibus hisce aliquando reperietur, Tibi, tuisque de optimis Artibus meritis tribuendum erit. Vale.

Patavij, Kal. Jun.

CI CCCC XXXI.

V. *An Account of a Book entituled, J. P. Breynij M. D. &c. Historia Naturalis Coccii Radicum Tinctorij, quod Polonicum vulgo audit. 4^{to} Gedani, 1731. Cum Figuris coloribus nativis pictis. By Richard-Middleton Massey, M. D. F. R. S. and Honorary Fellow of the College of Physicians.*

THE Author (after having briefly accounted for the two Kinds of the *Coccii Tinctorij* now in Use, *viz.* that of *Pliny* collected from the *Ilex*, and the *American Coccus, or Cochinil*) proceeds to give us the Natural History of the *Coccus Polonicus*, which